



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 11. An in defensionem alterius licet occidere injustum invasorem, & an  
ad hoc tenemur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

infamiae labem, nisi juxta perversum judicium quorundam mundanorum hominum, reprobatum à Deo, & contemnendum: non enim ex calumniatoris occidente sequitur cognitio falsitatis ipsius calumniæ, immo sàpè contrarium accidit. Demum si quis honorem suum, & famam aliter recuperare nequeat, debet illic jacturam inter damna irreparabilia recensere, & æquo animo ferre propter amorem Dei id præcipientis sub poena æterna, & remunerantis immenso veræ gloriae pondere.

*Q. II. An in defensionem alterius licet occidere injustum invasorem, & an ad hoc tenemur?*

*Resp. I.* Ex communi, licet vitam proximi ab alio injustè oppugnatam defendere, etiam cum occidente invasoris injusti, si aliter defendi nequeat: quia sicut possumus tueri vitam propriam cum occidente invasoris injusti, modo explicato; ita & vitam proximi innocentis, qui charitatis nexus nobis conjunctus est, & quem debemus sicut nos ipsos diligere.

*Resp. II.* Per se loquendo nemo tenetur vitam hominis privati cum periculo vita propria defendere; quia quisque potest secundum ordinem charitatis magis vitam propriam diligere, quam vitam alterius privati: ergo non tenetur vitam suam exponere ad temporalem hominis privati vitam conservandam. Privati tamen tenentur vitam suam expo

exponere ad defensionem Principis, vel alterius personæ publicæ, ex cuius morte sequetur grave detrimentum Reip. quia bonum commune semper anteponi debet privato.

*Resp. III.* Sub mortali tenemur ex charitate vitam proximi injustè oppugnatam defendere, quando possumus sine probabili pericula vita propria, & gravi damno proprio, Prob. 1. Prov. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesset. 2. Ex lege charitatis tenemur impedire grave damnum injustum proximi, cum sine gravi nostro possumus, imò & innocentia de vita periclitanti subvenire ex bonis necessariis ad decentiam statūs, & cum aliquo incommodo.

Quin etiam, juxta varios, ad id tunc tenemur etiam eum occidente injusti invasoris, si aliter defendi nequeat: quia jure naturali quisque tenetur defendere innocentem, si possit. Meliorque est, ac potior conditio innocentis quam injusti aggressoris, cui proinde præferri debet in æquali damno, nisi ipse innocens sponte velit potius mori, ob salutem æternam aggressoris. Porro quisque tenetur ex charitate etiam honorem, & famam, & bona alia proximi defendere contra injuriam, cum commodè potest, resque exigit: nam cum quisque teneatur diligere proximum sicut seipsum, potest, & debet ei opitulari eomodo, qui sibi licetè posset, & vellet subvenire in eadem necessitate. Nemo tamen tenetur nocen-

nocentem morte justa damnatum liberare, et si magna vi pecunia possit: quia bonum commune postulat, ut crimina non maneant impunita, nec tali sit injuria.

*Resp.* IV. Obligantur ex Justitia ad tuendam vitam, & fortunas proximi 1. Superiores publica auctoritate ad aliorum gubernationem prædicti, ut Princeps, Magistratus, &c. 2. Qui ad tuendum proximum à Principe, vel Magistratu constituti sunt, ut Tutores, Catores. 3. Qui ad hoc specialiter conducti sunt, ut milites. 4. Qui ad hoc se explicitè, vel implicitè obligarunt, ut feudatarii, & omnes famuli. *Leijius, Galii.* nam isti omnes ad id vel ex contractu, vel ex officio commodum aliorum spectante, ideoque ex Justitia obligantur.

**Q.** 2. *Quandonam homicidium casuale est peccatum, & obligat ad restitutionem?*

*Resp.* I. Homicidium omnino casuale, quod scilicet nec est in se, nec in sua causa voluntarium, non est peccatum, immo nec propriè homicidium, sed simplex occisio: quia peccatum est essentialiter voluntarium: ergo quod nullo modo voluntarium est, nullatenus peccatum est.

Hinc qui occidit alterum in ebrietate inculpabili, non est reus homicidii, nec tenetur ad restitutionem: quia occisio illa non est voluntaria neque in se, cum desit usus rationis,

**Q** neque